

hæc appetibilis est, aut etiam odibilis, vel recusabilis a peccatore, et sic reali actu, et attingentia potest attingi.

XIV. Nec obstat esse aliquid rationis, aut denominationis in objecto hoc quod est subijci legi, et ab ea mensurari. Nam non repugnat quod id quod ex parte objecti solum est ens rationis, aut denominatio extrinseca, attingatur ab actu reali, et per realem ordinem, sicut dignitates, et honores, jurisdictionem, præcedentiam, et alia similia, realibus actibus desideramus, et ambimus, et tamen non sunt nisi denominationes rationis. Et quid magis chimericum et fictum quam ipsa chimera, et figmenta, quæ fingimus in imaginatione, et entia rationis sunt? Et tamen realibus actibus intellectus illa efformamus, et fingimus, et concipimus. Quare licet in objecto ipsa legis ordinatio sit solum denominatio, et advertentia rationis, aliaque similia ponant in objecto solum denominationem extrinsecam, tamen actus voluntatis respiciens ista in objecto, eaque amplectens, et volens, per actum suum realem tendit in id quod ex parte objecti reale non est, sed denominativum, sicut logica reali actu agit de objectis sub secunda intentione generis et speciei, subjecti et prædicati, cæterisque similibus intentionibus consideratis.

XV. Quod vero ex parte objecti requiratur collectio omnium eorum, quæ pertinent ad perfectionem actus, et in tale objectum sic vestitum, et sub illa collectione positum feratur actus quatenus moraliter bonus, probatur quia actus moralis ut sit moralis, hoc est, mensuratus, et regulatus a ratione, non debet solum respicere objectum nudum in se, et quasi abstractum, sed practice ut hic et nunc. Actus autem ut practice exercendus tangit objectum

multis respectibus, et circumstantiis affectum, quia sic est in re, seu hic et nunc, aut quia sic esse debet juxta ordinem rationis, quæ etiam de circumstantiis ordinat, ex quarum defectu, actus ipse defectuosus judicatur; sicut etiam artifex in facienda statua, vel pictura, aut domo non solum respicit substantiam artefacti, ut quod sit constructio ex lapidibus, et lignis, sed multas alias circumstantias, et respectus, quod habeat fenestras sic dispositas, aërem vel lucem sic recipiat, cubicula sint in tali amplitudine, aut situ, etc. Ergo bonitas moralis ex parte actus attingere debet, et respicere in objecto collectionem omnium illorum, quæ ratio dictat, et ordinat in illa materia, eique debetur, quia bonum ex integra causa est, et ut sit bonitas moralis debet esse integritas omnium istorum in actu, tunc autem dicitur actus ea habere, quando illa in objecto attingit, non enim alio modo habet actus ea, quæ extra se sunt in objecto, nisi respiciendo, et attingendo illud.

XVI. Sed inquires duo. Primum, an iste concursus, vel collectio requisitorum ex parte objecti ad bonitatem moralem, sit aliquid unum ex parte objecti; an sola aggregatio plurimum, tamquam quoddam per accidens, et ens rationis. Constat enim plures circumstantias non posse in unum convenire, ut locus, et tempus, conditio personæ, auxilia, quibus operatur, etc. et sic illa collectio plurimum, non poterit esse unum nisi per accidens, et per aggregationem. Quomodo ergo poterit ex illa sumi unitas per se in actu, præsertim cum illa omnia non habeant aliquid reale unum in quo connectantur, verbi gratia, in uno ordine, aut composito ex illis resultante? Secundum est, si istæ circumstantiæ, aliaque requisita sunt res ita diversæ, quod non fiunt ni-

si unum per aggregationem ex parte objecti, cur non attingentur per plures respectus, saltem partiales, ab actu? Et ita in collectione omnium istarum relationum consistet bonitas moralis actus, sicut dicit Scotus, nec solum bonitas moralis objectiva, seu id quod ex parte objecti ad bonitatem requiritur, sed etiam formalis, quæ tenet se ex parte actus in aggregatione, seu collectione plurimum relationum consistet.

XVII. Ad primum respondetur illa plura, quæ ex parte objecti concurrunt, et requiruntur ad bonitatem moralem, si entitative, et physice considerentur solum esse aggregatione unum, et per accidens; si autem moraliter, et in ratione regulabilis, et objecti formalis hujus actus in linea morali esse unum morali modo, et ad unam rationem formalem reduci, quatenus sub una regula, aut sub uno modo regulandi continetur, et ad unum finem deserviunt, qui in tali modo regulandi respicitur. Itaque non dicimus objectum, et circumstantias fieri unum moraliter, quatenus attinguntur ab uno actu, et actum esse unum, ut tangit plura, quæ moraliter sunt unum: sic enim committeretur circulus, dum in sumenda unitate actus recurrimus ad objectum, et in investiganda unitate objecti revertimur ad actum in eodem genere causæ; sed unitatem actus in linea morali sumimus ab unitate objecti in eodem genere morali. Cum vero objectum sit multiplex entitative, dicimus reddi unum moraliter, non ex unitate actus, sed ex unitate regulationis, et modi regulandi sub quo illa omnia coordinantur. Et sic collectio requisitorum ad bonitatem moralem entitative est quædam aggregatio, et unum per accidens; in genere autem morali, ut coordinatum sub una regula, et more est unum sim-

pliciter pro illo genere. Sufficit autem objectum esse unum moraliter, ut possit terminare, et specificare unica specie moralis actum; sicut etiam in scientiis plura objecta entitativa, quia ordinantur sub una ratione scibili sufficienter terminant, et specificant actum unum, et plura visibilia unum actum visionis. Et in artefactis, construitur unus actus visionis. Et in artefactis ex pluribus, quæ entitative et physice sunt plura, et unum per accidens, et tamen artificiali modo habent unitatem. Et talis unitas sufficit ad dandam speciem actui, vel habitui, quia ista species non sumitur ab unitate physica rerum; sed ad objectiva, id est, a ratione formali sub qua illa omnia objectum redduntur, scilicet eadem ratione, et modo immaterialitatis, visibilitatis, moralitatis, seu regulationis, etc.

XVIII. Quod vero ex parte objecti illa aggregatio, seu collectio tot requisitorum, et coordinatio, seu mensuratio sub lege, sit aliquid rationis, non obstat unitati reali actus, qui circa illa versatur, quia licet ratio prædicamentalis semper sit ad terminum existentem, tamen respectus transcendentalis ipsius actus non petit rem existentem, imo neque veram; sufficit esse existimata, aut apprehensam, vel apprehensibilem, ut possit realis actus circa illam versari, sicut in exemplis allatis ostensum est, ut cum imaginamur actu reali entia ficta, aut formamus entia rationis, aut appetimus dignitates, et denominationes quasdam extrinsecas, aut insanias falsas.

XIX. Ad secundum respondetur, quod hoc est commune actibus animæ tam in cognitione, quam in appetitu, quod unico, et adæquato respectu possunt res diversæ attingi, si sint contentæ sub eadem ratione

formali, et in eadem linea, licet inadæquate, et materialiter multiplicentur terminationes ejus, et attingentiæ ad diversos terminos materiales, et inadæquatos, sicut docet S. Thomas de relatione unius patris ad plures filios in p. quæst. xxxv, art. v, eo quod relationes non multiplicentur numerice secundum terminos, sed secundum subjecta, in quibus fit multiplicatio accidentium; in uno enim supposito non sunt plura accidentia numero, sed superfluunt, ut in quæstione nona librorum de generatione ostendimus. Una ergo relatio patris sufficit terminari ad plures filios, respicitque unumquemque illorum inadæquate, et potest ad plures, vel pauciores terminari eadem relatione, quia omnes ab eodem principio procedunt. Et similiter in relatione transcendentali unicus actus videndi sufficit attingere plura objecta, quæ sub eadem linea visuali possunt capi, licet entitative sint plura objecta; nec enim tot eliciuntur visiones, quot objecta etiam minutissima proponuntur. Quod si aliquid ex objectis tollatur, vel addatur, non ob hoc destruitur visio in se, sed diversa terminatio inadæquata tollitur, vel ponitur.

XX. Sic ergo idem actus moralis respicit objectum, et circumstantias et quidquid ad illam regulationem, et mensurationem secundum rectam rationem, spectat unica tendentia, quia unius regulationis moralis est. Quod si aliqua circumstantia addatur, vel tollatur sub eadem regulatione, id est, sub eodem fine, et ordine, aut sub eadem lege, et mensura rationis, non variatur actus in se, sed terminatio erga illam circumstantiam. Sicut quando aliquid visibile actu videtur, et in se variat aliquam circumstantiam, puta motum, aut quietem, etc. non propterea mutatur visio entitative,

licet extrinseca aliqua terminatio varietur. Si tamen variatio talis sit, quod non maneat sub eadem moralitate, id est, sub eadem mensuratione, et regulatione, sed transeat de una specie ad aliam, tunc mutabitur actus in ratione moralis. Quod si dicatur esse plures respectus partiales ad istas circumstantias, nihilominus non per collectionem, et aggregationem plurium dicetur actus moralis constitui, sed per unum principalem respectum ad objectum, reliqui autem respectus pertinebunt ad actum moralem quasi consecutive, et per subordinationem ad primum, qui principalis est, utpote ad objectum unde sumitur specificatio.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXI. Primo arguitur pro prima sententia, quia bonitas moralis in habitu est aliquid absolutum; ergo et in actu. Consequentia patet a paritate rationis; actus enim sequitur naturam habitus, quem generat, vel a quo procedit. Antecedens vero probatur; tum, quia habitus est qualitas (et idem est de actu) ergo bonitas, quæ est differentia hujus habitus, seu qualitatis etiam debet esse aliquid absolutum, et non pure respectivum, differentia enim, et genus, ejusdem prædicamenti, et ordinis esse debent; tum, quia habitus virtutis habet contrarium propriè, et in rigore loquendo, scilicet vitium, relationi autem nihil est contrarium, sed ejus oppositum est correlativum; tum denique, quia quæcumque relatio ponatur ad bonitatem moralem, debet habere aliquid fundamentum absolutum, quod etiam morale est, et pertinet ad regulas rationis, si quidem ex illo oritur illa relatio conformitatis, et ratio debet disponere, et ordinare

etiam de hoc fundamento; ergo jam in ipso invenitur sufficiens ratio moralitatis, non mala, nec indifferens, ergo bona.

XXII. Respondetur argumentum probare, quod bonitas moralis non consistit in pura relatione prædicamentali, et secundum esse, non tamen probat non consistere in aliquo absoluto dicente transcendentalem ordinem ad objectum moralitate mensuratum. Ideo autem in relatione prædicamentali, vel secundum esse, sive reali, sive rationis non constituimus bonitatem moralem, vel moralitatem actus, quia relatio secundum esse, sive prædicamentalis solum respicit terminum ut purum terminum, non ut objectum aut principium specificationis suæ, seu alio quovis modo influens, et causans, quia causatio et influentia in pure relativis locum non habet, quia relatio non habet motum per se. At vero bonitas moralis in actu desumitur ab objecto, imo etiam malitia juxta sæpe repetitam auctoritatem Osee ix: *Facti sunt abominabiles sicut ea, quæ dilexerunt*, et similiter dependet a fine, ut finalizante, quod pertinet ad influentiam, et causalitatem: et a circumstantiis, inter quas aliquæ sunt causativæ ut circumstantia quis, et quibus auxiliis, ergo moralitas in actibus importat ordinem non pure prædicamentalem, et secundum esse, qualis est in ordine ad purum terminum; sed transcendentalem, qualis est secundum dici, aut transcendentalem respectus in actibus, habitibus, potentiis, qualis est etiam ordo a causando in ratione causantis, et non in ratione puri termini. Et hinc etiam nascitur non posse consistere in relatione hanc bonitatem moralem, quia fundat contrarietatem ad malum morale, contrarietas autem relationibus non est, quia invenitur in habitibus, et

actibus, quæ sunt qualitates, et reliqua quæ in argumento ponuntur, quod convincit non consistere bonitatem moralem in relatione secundum esse, supposito quod est in actu per ordinem ad objectum, non ad terminum in ratione puri termini.

XXIII. Et sic probationes argumenti non urgent. Concedimus enim hanc habitudinem bonitatis moralis entitative esse qualitatem sicut ipse actus, vel habitus, qui transcendentaliter respiciunt objecta sua, et ab illis specificantur. Et sic differentia ultima bonitatis moralis entitative est aliquid absolutum, importans tamen transcendentalem ordinem ad objectum ut mensuratum, et regulatum regulis rationis, per conformitatem scilicet ad ipsum. Hoc autem absolutum transcendentale respectus, quod est differentia actus moralis entitative reducitur ad prædicamentum qualitatis, quia ad illud pertinet actus ipse, vel habitus moralis, et differentia semper reducitur ad prædicamentum sui generis, quasi ad latus, quia sunt aliquid incompletum. Hæc autem relatio transcendentale, quæ entitative est aliquid absolutum, et potest contrarium habere, et fundare relationem prædicamentalem, sicut datur contrarietas inter actus, et habitus in intellectu, et voluntate, et fundant relationes aliquas secundum esse, in quibus tamen non consistit ipsa ratio propria actus, vel habitus etiam in linea morali, ut diximus.

XXIV. Secundo arguitur in favorem tertiæ sententiæ, quæ est Scoti, quia ad bonitatem, et perfectionem in rebus naturalibus non est necesse aliud ponere, quam collectionem omnium eorum, quæ ad ejus integritatem, et plenitudinem requiruntur, et debent concurrere, sine hoc quod aliqua alia ratio addatur.